



3
Pri. 13. Num. 57.

JOH. ULRICI CRAMERI, 25

J. U. ET PHIL. D. AC IN ACADEMIA MARBURGENSI
PROFESSORIS JURIS ORDINARIJ

PROGRAMMA, 1735, 1.

DE

LÆSIONE ENORMI
RECTE COMPUTANDA

QVO

MODUM IN PRAXI RECEPTUM
COMPUTANDI

CONTRA

NONNULLOS RECENTIORES

STABILIT

ET

LECTIONES PRIVATAS

AD

INSTITUTIONES

INTIMAT.

MARBURGI CATTORUM,

Typis PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPOGR. ET BIBLIOP.
ANNO MDCCXXXV.



JOH. ULRICI CRAMERII

PROFESSORIS JURIS ORDINARI

PROGRAMMA

DE

CAUSIONE ENORMI

RECTE COMPUTANDA

QUO

MODUM IN PRAXI RECTUM

COMPUTANDA

CONTRA

NONNULLOS RECENTIORES

STATUIT

ET

LECTIONES PRINATAS

AD

INSTITUTIONES

INSTITUT.

WILHELMI CAROLI MULLERI ACADEMICI ET JURISCONSULTI
M.DCCCXXXV





Aequitati & vel minimam læsionem repugnare eandemque adeo reparandam esse, nemo non concedet per ea, quæ demonstravit PHILOSOPHVS (a). Enimvero in Republica non ob quamvis sed lege civili determinatæ quantitatis læsionem, in foro actionem permittendam esse, IDEM non minus evictum dedit (b). Atque in eo l. 2. C. de Rescind. Vend. continetur ratio. Etenim jam Digestorum jure ex causa læsionis, quoties Judici æquum visum, dabatur restitutio, vi clausulæ illius generalis, *si qua justa causa mihi fuerit &c.* (c). Quoniam tamen læsionis quantitas tota in arbitrio Judicis consistebat, eadem infinitarum litium, quin temerariarum, nec non Judicibus exoptatissima occasio erat, in causis restitutionum dandi quid odio, gratiæ, avaritiæ. Quare cum secundum PHILOSOPHVM (d), litium minuendarum causa, quantitas læsionis determinanda sit, atque dein læsionem minoris quantitatis, quilibet sua culpa sentiat; optime perspexere Imp. DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS Jus Digestorum nondum ex asse principii politiciis satisfacere; indeque

A 2

(a) §. 819. & 824. Moral.

(b) §. 424. Polit.

(c) l. 1, §. 4, l. 26. §. fin. ff. ex quib. caul. major,

(d) l. c.

quantitatem læsionis olim vagam per d. l. 2. determinarunt, constituentes: *venditorem sine dimidia pars, veri pretii soluta sit, petere posse, ut vel fundus sibi restitatur pretio a se refuso, vel ut emtor, quod iusto pretio deest, suppleat.* Non est itaque cur MOLINÆVS (e) hanc legem duram & Tyrannicam asserat, nec cur B. THOMASIVS (f) æquitatem qua nititur, non nisi cerebrinam dicat. Si quis distincte Juris Naturæ Ethici & Politici præcepta a PHILOSOPHO hauserit, illi facile erit hosce errores evitare. Multo difficilior sane est quæstio, qua ratione læsio juxta d. l. 2. computanda sit, cum argumenta Doctorum errantium specie non destituantur. Vt plurimum quoad venditorem statuunt illum ultra dimidium læsum esse, si non accepit dimidiam partem veri pretii, v. gr. si res valeat 11, quam vendidit 5 aureis. In Emptore vero magnum est interpretum d. l. 2. Plerique cum DVARENŌ (g) ipsum læsum dicunt, si nequidem dimidium pretii accepit illius quod dedit v. gr. si 11 aureos det, cum verum rei pretium sit 5. Quidam vero cum ACCVRSIO (h) GOMEZ (i) & aliis ibi recensitis existimant, ipsum tum demum læsum, si plus dederit ultra verum rei pretium, quam dimidium e. gr. si verum rei pretium sit 5. & emtor det 8. Nec desunt hodiernum qui modum hunc præferunt priori quem solide confutasse ac fontes quasi erroris hujus communis feliciter detexisse sibi videntur. Ego jam in Specimine de Emptione Spei modo vulgari calculum meum adjecti. Nec hucusque perspicere potui, quid me ab hac sententia dimoveat. Dicam itaque abque studio partium & pruritu famam aliorum fuggil.

(e) in Tr. de commerc. n. 17.

(f) in Dissert. de Æquit. cerebrina l. 2. C. de Rescind. Vend. Halæ 1706. edita.

(g) ad l. 36. ff. de V. O.

(h) ad d. l. 2. C.

(i) T. 2. var. Ref. c. 2. n. 22.

suggillandi, quid sentiam, nemini gravis si in diversa abeat. In contractu Emptionis Venditionis & in genere in omni mutua praestationis contractu, inter ea quae utrinque dantur aequalitas servanda est. Nemo enim habet animum dandi alteri quid gratis; adeoque tantundem recipere vult, quantum dat alteri. Læditur adeo contrahentium alter, qui minus recipit, quam dedit v. gr. Emptor læditur si plus dat pecuniae, quam quanti res empta aestimari potest, & Venditor læditur, si minus pecuniae accipit, quam ea venire debebat. Hinc læsio consistit in eo, quod alter contrahentium minus habet, consequenter quod deest ei, quod habere debebat. Unde porro patet, tantum lucrari contrahentium unum, quantum læditur alter, ut adeo damnum læsi æquale sit lucro lædentis, utpote tantundem plus habentis, quantum læsus habet minus. Et si nulla contingit læsio, inter ea quae contrahentes sibi invicem dant, est ratio aequalitatis, adeoque in omni casu ut 1. ad 1. Quantum enim unusquisque dat alteri, tantundem ab eodem recipit. Quamobrem, si Titius Mevio dat 1. ab eodem itidem recipit 1. Unde celebrato contractu Titius habet 1. & Mevius habet 1, quemadmodum habuerunt ante contractum. Id igitur, quod unusquisque habere debet post contractum, spectandum est ut totum, & quod unus minus, alter plus habet, ut pars illius totius. Quare cum quantitas partis aestimetur ex ratione ad totum; quod unus contrahentium plus habet, alter vero minus, aestimandum est ex ratione ad id, quod uterque habere debet. Nec aliter fieri posse aestimationem in presenti negotio palam est. Evicini enim tantundem lucrari lædentem, quantum perdit læsus; seu damnum læsi æquale esse lucro lædentis. Quoniam itaque, æquales sunt partes quae ad idem totum eandem

eandem habent rationem (§. 177. *Arithm. Lat.*); lucrum & damnum ad idem totum referri debent. Quod si damnum lassi referas ad id quod habet celebrato contractu, & lucrum lædenti ad id, quod ipsi est contractu finito; cum lassi minus, lædens plus habeat, idem refertur ad minus & majus; consequenter diversæ in utroque casu nascuntur rationes (§. 205. *Arith. Lat.*): id quod notioni æqualitatis deficius ab una parte, & excessus ab altera non satis convenit, quæ ut semper manifesta sit curandum. Absonum itaque foret unum idemque, quod pro diverso respectu diversa tantummodo sortitur nomina, damnum nempe appellatur quoad lassi, lucrum quoad lædentem, ad diversa referre tota, præsertim cum ipsa negotii natura sponte nobis suggerat totum, ad quod referri debeat id, quod uni deest, nimirum hoc quod habere debet. Quod vero alter plus habet, cum idem omnino sit cum eo, quod deest alteri, ad idem omnino totum scilicet ad hoc, quod habere debet unusquisque referendum. Hæc ideo justo prolixius inculcantur quia in eo latet πρώτων ψεύδος eorum, qui receptam læsionis æstimationem a vero aberrare sibi persuaserunt. Consentanea hæc sunt d. l. 2. qua quantitas læsionis enormis in contractu emtionis venditionis quoad venditorem definitur. Etenim minus pretium, quod accepit venditor esse dicitur in hac læsione, si nec dimidia pars veri pretii soluta aut data sit. Jam vero læditur venditor, si minus accipit pretium e re majoris pretii. Damnum igitur quod patitur est id, quod vero pretio deest. Id quod accepit dicitur pars ejus quod habere debebat, pars nempe veri pretii. Ergo & quod deest, ex legis mente dicenda est ejusdem totius; veri nempe pretii pars, pretium autem verum, totum. Et sane lex ipsa æstimatura damnum lassi, refert id quod habet,
ad id

ad id quod habere debet tanquam ad totum, consequenter id quoque in quo damnum consistit, ad idem totum referendum. Dum adeo Lex Venditorem laesum pronunciat, si nec dimidiam partem veri pretii accepit; laesionem quoad venditorem definit, si quod ex contractu habet, ad id quod habere debebat, rationem subdupla minorem, seu quod perinde est, id quod ipsi deest, ad id quod habere debebat, rationem subdupla majorem habet, sive prout Dominus de BERGER (k) loquitur, duplo plus re dedit, quam accepit. Eandem esse debere contrahentium conditionem nemo non agnoscit, cum nulla subsit ratio, cur uni plus favere debeant leges, quam alteri. Vnde recte intulere Dd. laesionem enormem quoad venditorem LL. definitam ad emtorem quoque extendendam esse. Nec diffiteor siculnea esse Magni alias dissentientis CVJACII argumenta (l). Putat enim legem 2. C. in specie de venditore conceptam novam & correctoriam, adeoque non extendendam esse, cum tamen in superioribus deduxerim d.l. non demum primum hoc remedium rescissionis introduxisse, sed jam pridem id cognitum ex claus. generali, ex quibus causis maj. Et qui fieri potuisset, ut si lex nova esset, decideret casum praeteritum a LVPO propositum, cum leges de futuris tantum casibus sint non praeteritis. Declarat ergo Jus antiquum quantitatis laesionis determinatione; consequenter cum jus antiquum tam de emtore quam venditore disponat, nil obstat, quominus d.l. ad emtorem extendatur. Nec dubium quin Impp. idem de emtore responsuri fuerint, si de eo quoque consulti fuissent. Interrogati enim solummodo de venditore, de eo solo quoque rescribere: prout ex toto Codice constat, leges tantum ad propositas facti species latas esse

(k) in Occon. Jur. p. 672.

(l) Obs. l. 23. c. 32.

esse, ita tamen ut semper locus sit interpretationi extensivæ. Multo levioris momenti est alterum CVJACII argumentum, quod solius Venditoris favor hanc Legem extorserit, utpote qui semper per necessitatem vendat. Et si CHASSANÆVS CVJACII acumen hic admiretur (m); mihi tamen longe aliter videtur. Precarium supponit principium. Sæpe enim venditor nulla necessitate adactus, sed potius spe lucri res suas distrahit: contra vero emtor rerum indigentia adeoque necessitate coactus res emit. Nil quoque movet ratio MERILLII (n) quod præstationes emtoris & venditoris diversæ sint, dum emtor nummos tenetur facere venditoris. Nihilominus enim æquales esse, consequenter si læsio contingit ad æqualitatem reduci debent. Quamvis & quoad emtorem non attendatur læsio, nisi quæ quantitatis lege determinatæ est. Recte itaque praxis emtori perinde ac venditori hoc remedium indulget, consentientibus HAHNIO (o), MEVIO (p), MENCKENIO (q), ZIEGLERO (r), FRANZKIO (s), BOECLERO (t), HVBERO (u). Nec obstat quod ANTONIVS FABER (x) hanc praxin communem pragmaticorum errorem dicat. Cum enim istum errorem nonnisi CVJACII argumentis extorquere conetur, quibus modo satisfeci & olim jam JOANNES ROBERTVS (y) mascule sese opposuit; in eo ipsum fellit opinio. Ne vero dispar fiat conditio, læsio enormis æstimanda est eodem modo in emtore, quo in venditore, nimirum ex ratione ejus, quod habet, ad id quod habere debet,

(m) in Paratit. X. ad Tit. de Emat. Vend.

(o) ad Wesf. Tit. de Resc. Vend. n. 6.

(p) Gymnas. polem. Disp. 13. th. 21.

(q) l. 3. Resol. 3. n. 14.

(r) in Præf. ad ff. Tit. de Rescind. Vend. §. 3.

(s) in Animadvetf. l. 12. c. 13.

(n) l. 2. O. 5.

(o) P. 3. dec. 192. n. 2.

(p) ad l. 2. th. 13.

(q) in Dissert. de mens. pretii.

(r) Dec. 8. Err. 7.

debet, seu quod perinde est, ex ratione ejus, quod ipsi deest ad id quod habere debet. Dicendum itaque & Emptorem enormiter laesum esse, si id quod accepit, rationem subdupla minorem habet ad id quod habere debebat, vel id quod ipsi deest rationem subdupla majorem habet, ad id quod habere debebat, seu quod perinde est ut loquitur Dn. de BERGER l. c. si duplo plus pretio dedit, quam accepit. Nimirum pone Emptorem dedisse 100. thaler, accepisse vero rem 50. thalerorum, laesio consistit in dimidio, si vero accepit rem minoris pretii quam 50. thalerorum v. gr. nonnisi 40. ultra dimidium erit laesus. Idem & hoc modo elucescit. Si venditor secundum legem enormiter laesus, lucrum ex parte laedentis emptoris superat alterum tantum: id quod etiam agnovit BEYERVS (z) Jctus celeberrimus. Quare cum Emptoris & Venditoris aequa conditio esse debeat; si Emptor enormiter laesus, lucrum ex parte venditoris laedentis, alterum tantum superare debet. Quoniam igitur damnum laesi aequale est lucro laedentis, juxta superiora; Emptor enormiter laesus dicendus, si damnum superat alterum tantum, seu quod perinde est, si juxta HVBERRVM (a) rem altero tanto plus emit, quam valebat. Felicitor itaque hic fuit ANTON. FABER (b) in detegendo errore interpretum & pragmaticorum existimantium emptorem enormiter laesum si plus dederit ultra verum rei pretium, quam dimidium, multo graviore & intollerabiliore sibi viso illo quem supra perperam quidem notaverat. At per eundem errorem TITIVS lapsus, adeo ut putaverit (c): *Quod si quis vulgatum illud: nihil tam absurdum est, quod*

B

noy

(z) in notis ad Pandect. Tit. de Resc. Vend. §. 6.

(a) c. l.
Vendit.

(b) c. l.

(c) in not. ad Lauterbach, Tit. de Rescind.

non aliquando defenderit Philosophus, ad interpretes juris civilis applicare velit, ipsum computationem nostram in exempli vicem non male allegare. Quæso tamen an absurda dicenda computatio, quæ non solum legi civili, sed & ipsi æquitati consentanea, vi cujus eadem utriusque contrahentium veluti emtoris & venditoris sit conditio? Hancce obfervans an formulas solum captat, ut **TITIO** videtur? Et quid absurdius cum ipso secundum legem in venditore æstimare læsionem ex eo, quod minus habet, ad id, quod habere debet; in emtore contra ex eo, quod minus habet seu plus dedit, ad id quod habet? Sane quodsi læsionem æstimare volueris ex eo, quod emtor plus dedit seu minus habet; contra interpretationem extensivam impingis, & emtoris conditionem meliorem facis conditione venditoris. Etenim Lex de læsione venditoris verba faciens quantitatem læsionis æstimat ex eo, quod plus dedit seu minus habet, ad id, quod habere debet, non vero ex eo, quod minus habet, ad id quod habet. Nempe si dedit rem 100. thalerorum, & nonnisi 40. accepit, læsionem Lex æstimat ex 60. thalerorum deficientium ratione ad 100. quos habere debebat; non vero ex eo, quod plus dedit, seu ratione 60. thalerorum ad 40. Quamobrem vicissim si emtor dedit 100. & accepit 40, læsio ejus itidem æstimanda ex ratione 60. ad 100. Quodsi vero eandem in emtore æstimare volueris ex ratione ejus, quod plus dedit ad id quod habet, melior utique ejus conditio, quam venditoris, quia in emtore locum habet læsio enormis, quando in venditore nondum pro enormi habetur. Etenim si dare debuit 40. seu accepit 40. & dedit 70, enormiter læsus censetur: sed si venditor dedit 70. & 40. accepit, nondum dicendus enormiter læsus. Quamvis vero sententia **TITII** infirmita-

nitatur talo , ei tamen calculum suum adiecit VOETIVS (d), propterea quod in omni eo laesio fit , quod a justa pretii cum re proportione recedit. Pro mensura laesionis itaque & ipse habet justum Pretium mercis, consequenter id quod laesus habet, si generaliter enunciari debeat, ut etiam in permutatione intelligi possit. Ostensum vero est superius laesionem aestimari ex eo quod deest ad id, quod quis habere debet juxta LL; consequenter si has sequi velis quemadmodum debes, mensuram laesionis esse id, quod quis habere debet. Atque hanc computationem Summo Imperii Tribunali probatam esse, testatur MYNSINGER (e): quin imo insignis Practicus SCHACHERVS (f) juxta eandem emtori enormiter laeso formulam agendi praescribit sequentem: Kl. saget / wie das' er von Befl. ein Haus um 2000 Gulden baaren Geldes erkauffet. Nun dann solches ein mehreres nicht / denn 900 Gulden werth gewesen / also Kl. über die helffte verlezet worden; Als fordert er Antwort / mit Bitte zu erkennen / das' Befl. entweder das libellirte Haus / gegen Erstattung des Kauff. Geldes der 900 Gulden wieder anzunehmen / oder die Übermaß der 1100 Gulden zurück zu geben schuldig. Caterum ex hisce collectu facile, quod cum ratio d. L. 2. in aequalitate mutuae praestationis contineatur, eadem ad omnes contractus mutuae praestationis extendenda sit, licet de sola Emptione Venditione concepta. Equidem JOAN. a SANDE cum remedium, inquit (g), d. l. 2. proditum sit in sola Emptione Venditione, contra rationem Juris Veteris, lex ea extra fines suos tra-

B z

hendit

(d) in Comment. ad ff. Tit. de Rescind. Vend. p. 5.

(e) Obl. Cent. 4. O. 73.

(f) in Colleg. Pract. p. 308.

(g) l. 3. Decis. t. 4. D. 17.

benda non est, nequidem ex identitate rationis & equitatis. Atat cum itidem legem 2. novam & juris antiqui derogatoriam consequenter stricte explicandam falso supponat; dissensus ipsius nos non miratur. Hoc tamen mirandum, VLRICVM HVBERVM (b) ob eam solam rationem in castra ejus & ANTONII FABRI (i) transisse, cum tamen ipsum latere haud potuerit, FABRVM ista permotum, ut negaverit d. l. 2. ad emtorem extendendam esse, id quod ipse tanquam extra omnem dubitationis aleam positum affirmavit. Accedit nostræ sententiæ Praxis, de qua testantur CARPZOVIVS (k), MEVIVS (l). Et ita responderunt JCTI HALLENSES (m). En igitur consensum Æquitatis, Legum Civilium & Præxeos! Is adeo facile obtineri potest, modo utaris notionibus & principiis a PHILOSOPHO stabilitis, indeque methodo naturali, cujus regulas ipse distincte exponit, ratiocinia derives. Atque eo enitor in omni Jure, Viris intelligentibus sponte currenti publico applausu calcaria admoventibus. In præsens autem Institutionibus in Privatis Prælectionibus hoc modo pertractandis illaborare animum induxi. Erit istarum initium Hora VIII. d. 20. Junii Ann. M DCC XXXV.

(b) c. l.

(i) c. l.

(k) P. 2. c. 34. d. 8.

(l) P. 2. d. 148. n. f.

(m) Dec. 99. par. 100.

(e) Confil. T. II. l. 1. c. 93. n. f.



Marburg, Diss., 1731-35

ULB Halle
005 359 929

3





Pri. 13. Num. 57.

JOH. ULRICI CRAMERI, 25

J. U. ET PHIL. D. AC IN ACADEMIA MARBURGENSI
PROFESSORIS JURIS ORDINARI

PROGRAMMA, 1735, 7.

DE

LÆSIONE ENORMI
RECTE COMPUTANDA

QVO

MODUM IN PRAXI RECEPTUM
COMPUTANDI

CONTRA

NONNULLOS RECENTIORES
STABILIT

ET

LECTIONES PRIVATAS

AD

INSTITUTIONES

INTIMAT.

MARBURGI CATTORUM,

TYPIIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPOGR. ET BIBLIOP.
ANNO MDCCXXXV.

